



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

- I. Disputatur de Auctore libri Ecclesiastici. Ex Ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus excerptum fuisse verisimile est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE ECCLESIASTICO.

I. Disputatur de Auctore libri Ecclesiastici. Ex ethicarum Salomonis scriptorum compilationibus excerptum fuisse verisimile est. II. Iesu filio Sirach operis concinnatio, Josepho Uzielide ipsius nepoti interpretatio adscribitur. III. Disputatur cur Latina interpretatio laxior, & multis laciniis auctior sit Greca. IV. Disputatur an Iesu filius Sirach idem sit qui Ben-Sira. V. Disputatur de Ebraicis Ecclesiastici editionibus. VI. Probatur ejus modic & antiquitas. VII. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VIII. Secundum argumentum.

I. EX ethicarum Salomonis scriptorum compilationibus decerpsum esse vide-
tur Ecclesiasticus liber. Id ostendunt sententiae quamplurimae Proverbiorum
Salomonis detrahe, ex Ecclesiaste etiam, & ex libro Sapientiae. Illuc translatas ali-
quot è Proverbio collegit Drusius in Observationibus suis. Aliæ his multæ adjici pos-
sunt. Velut illa: *Servo sensato liberi servient: manifesto prodiit ex ista Proverbiorum:*
Servus sapientis dominabitur filii stultorum. Et ista: *Melior est qui operatur & abundat in pitionibus com-*
omnibus, quam qui gloriatur & eget pane: ad hanc expressa est: Melior est pauper & sus-
cientes sibi, quam gloriatus & indigens pane. Hæc quoque: *Priusquam audias, ne respondas*
verbū: ex ista nata est: Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & fuisse veri-
confusione dignum. Gravis haec & pia Ecclesiastici sententia: *Initium sapientie timor Do-*
mini, ἀπολέξει in Proverbio reperitur; et si ex Jobi & Psalmorum libris primum pro-
fluxit. Effatum quoque hoc: *Arenam, & salem, & massam ferri faciliter est ferre, quam*
hominem imprudentem, & fatum, & impium: & istud: Commonari leoni & draconis place-
bit, quam habitare cum muliere nequam: atque id etiam: Qui diligit filium suum, affidat
illi flagella: totidem pene concepta verbis extant in Proverbio. Utroque eadem Sa-
pientiae laudes, idem Sapientiae studium: (quorum consimilat etiam habes in libro
*Sapientiae) paria utroque mulieris proba pœconia. Is comparationis instituenda
modus: *Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem: rursum*
alibi: Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim, crebro in Pro-
verbio usurpatum. Plura colligit, cui vacabit, nam obvia sunt. Sed & istud Ecclesiasti-
*cus: Omnes aquæ in terram revertentur: germanum est illius ex Ecclesiaste: *Ad locum*
unde exiret flumina, revertuntur ut iterum fluant. Hæc vero: *In igne probatur aurum*
& argentum, homines vero receptibiles in camino humiliacionis: familia fuit illorum Sa-
*pientiae: *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.**
Item illud: *Investiga sapientiam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas*
eam: consentit his Sapientiae: Et ut sciri quoniam aliter non possem esse continens, nisi
Deus des, & hoc ipsum erat Sapientie, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum. Hoc de-
nique: Non tradent filii mulieris adulteris radices, & rami ejus non dabunt fructum: ge-
minum est istius è Sapientia: Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fir-
mamentum collocabunt. Conjicere quoque licet Salomonis opus hoc esse, ex eo quod
affirmat Epiphanius, veribus scriptum fuisse, perinde ut alios libros Salomonis, Pro-
verbia, Ecclesiasten, & Canticum. Inde adeo ἔταδε τὰ συρκύστρα, Salomonis affecta,
appellatur Jesus Libri hujus scriptor ab Athanasio, seu quisquis est auctor Synopseos,
non quod ejus solum in condendis Parabolis modum rationemque tenerit, sed etiam
quod totas ipsius descriperit Parabolas ac sententias, sententiarumque compilari
ανθοράς, & carminibus constrinxerit. Quia ratione contigisse opinor, ut veterum Pa-
trum plerique auctorem libri hujus Salomonem prædicens, & nomine Salomonis in eo-
rum scriptoribus non raro citetur, & inter Salomonis volumina in Ecclesia Latina
haberi solitus sit. Cum enim hæc legimus in vicefima secunda Origenis Homilia in
*Librum Numerorum: *In Libro, qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi so-**
let, & Ecclesiasticus dici; apud Grecos vero, Sapientia Iesu filii Sirach appellatur, mani-
festum est Origenem, qui inter Grecos Alexandriae natus fuit, de se ita locutum non
fuisse, quasi Græcus non esset; proindeque id esse Rufini interpretationis additamentum,
qui per summam intemperantiam & perfidiam has interpretationes elaboravit, ut ali-
bi dictum est à me. Vult ergo Rufinus Ecclesiasticum, quem Graci Sapientiam Iesu
filii Sirach appellant, apud suos, Latinos nimurum, inter Salomonis volumina referri
*solere.***

Cc